

rat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Datum Romæ apud S. Mariam Rotundam II. Kal. Novembris.

HADRIANUS QUARTUS

P A P A CLXIX.

ANNO ÆRÆ CHRISTI COM. MCLIV.



Nicolaus de Brekspere, natione Anglicus, de Castro S. Albani, ex Episcopo Albanensi electus est Romanus Pontifex die 5 Decembris anni 1154. & post duos dies consecratus sub nomine Hadriani Quarti. Sedit in Pontificatu, imperantibus in Oriente Emanuele Comneno, in Occidente Friderico Ænobarbo Imp. ann. iv. mens. viii. dies ix. Fecit ordinationes multas per mesem Decembrem & Martium, in quibus creavit Diaconos septem, Presbyteros quinque, & Episcopos per diversa loca numero maximo. Obiit Anagninæ die 1. Septembris anni 1159. & die quarta corpus ejus Romam deductum, in Ecclesia B. Petri juxta Eugenii Papæ Tertii sepulchrum honorificè tumulatum est. Vacavit Sedes dies v. (a)

(a) Excluis extremis.

I. Gradenibus Patriarchis Primatus super Iadertinum Archiepiscopum, ejusque suffraganeos Episcopos conceditur: reservato tamen Romanis Pontificibus jure Pallium eidem Archiepiscopo elargiendi.

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Henrico Graden. Patriarchæ, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Ex Patriarchali Tabulario editi J. ghet. Ital. Sac. Tom. V.

NE passim & indiscretè sibi omnes Ecclesiæ omnia vindicarent, consultâ factis, utique sanctorum Patrum deliberatione, sanxit auctoritas, ut aliæ aliis prerogativâ dignitatis excelleret, & eis tam judicandi auctoritate quam potestate corrigendi præsent. Super omnes autem ex superni dispositione consilii sacrosancta est Romana Ecclesia constituta, ad cujus examen universarum Ecclesiarum negotia referrentur, & cujus statuta universa multitudo fidelium sequeretur. Hec nimirum ex indulto a prima fundatione Ecclesiæ in B. Petro Apostolorum Principe privilegio statum omnium Ecclesiarum provida consideratione disposuit; & quoties expedire cognovit, alias aliis ad ampliorem earum habendarum statuit præminere. Inde est, quod nos honestatem ac prudentiam tuam, & devotionis sinceritatem, quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper habuisse dignosceris, attendentes: & ne commissa regimini, & dispositioni tuæ Gradenis Ecclesiæ, quæ de benignitate Apostolicæ Sedis prerogativa gaudet honoris, ex brevitate Patriarchatu inferius, & abjectius valeat apud simpliciores haberi, ad ampliandam dignitatem ipsius, Primatum ei super Iadertinum Archiepiscopatum & Episcopatus ipsius apostolica auctoritate concedimus; & tam te quam successores tuos Iadertino Archiepiscopo & Episcopis ejus, qui pro tempore fuerint; dignitate Primatus præferimus, & consecrationis munus eidem Archiepiscopo impartiri: Romano quidem Pontifici traditione Pallii reservatâ. Ut igitur hæc nostra constitutio firma in perpetuum & inconcussa permaneat, eam scripti nostri paginâ communimus; & auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli unquam hominum liceat, hanc paginam nostræ constitutionis & confirmationis infringere, vel ei modis quibuslibet contraire; salvâ in omnibus Apostol. Sedis auctoritate. Si quis autem id attentare præsumpserit, secundò tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione porrexerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat.

Quam necessarii sunt in quolibet Ecclesiæ dignitatum gradus

Rom. Ecclesiæ est de universarum Ecclesiarum negotiis cognoscere.

Graden. Ecclesiæ Primatus super Iadertinum Archiepiscopatum, ejusque suffraganeos Episcopos.

Reservata soli Rom. Pontifici Pallii traditione.

Confirmatio hujusce Decreti sub solitis clausulis.

Hadriani PP.

& S. R. Ecc. Card. subscriptione.

- Ego Gregorius Sabinen. Episc. fs. Ego Guido Presb. Card. tt. S. Chrysogoni fs. Ego Ubaldu. Presb. Card. tt. S. Praxedis fs. Ego Manfredus Presb. Card. tt. S. Sabine fs. Ego Aribertus Presb. Card. tt. S. Anastasie fs. Ego Julius Presb. Card. tt. S. Marcelli fs. Ego Guido Presb. Card. tt. Pastoris fs. Ego Astaldu. Presb. Card. tt. S. Priscæ fs.

Ego

- Ego Gerardus Presb. Card. tt. S. Stephani in Cœlio-monte fs. Ego Henricus Presb. Card. tit. S. Nerei & Achill. fs. Ego Joannes Presb. Card. tit. sanctorum Sylvestri & Martini fs. Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu fs. Ego Joannes Diaconus Card. SS. Sergii & Bachi subscripsi. Ego Gerardus Diac. Card. sanctæ Mariæ in Vialata subscripsi. Ego Otto Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano fs. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancellarii. VIII. Kal. Martii Indict. III. Incarn. Dom. ann. MCLV. Pontificatus verò Domini Adriani Pape IV. ann. I.

Dat die 22. Februarii an. Dom. 1155. Pont. an.

I I.

Monasterium Balmenfense in Archiepiscopatu Bisuntinensi, Cluniacensi Abbati regendum committitur, cum Decreto, ut illius Restores, non Abbates, sed Priores tantummodo in futurum denominentur.

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio in Christo Petro Cluniacensi Abbati, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Quare diversi sint gradus in Hierarchia Ecclesie.

Instituta distributa in eadem necessaria.

Balmenfense Monasterium ab antiquo splendore delapsum.

Tandemque restitutum.


Cluniacensibus confirmatur.

Et ratione, ut disciplina Monastica in eo conservetur.

GLoriosa & admirabilis divine providentia majestatis ad hoc diversos gradus & ordines in Ecclesia sua constituit, ut dum inferiores superioribus debitam obedientiam & reverentiam exhibent, una fieret ex diversitate connexio, & ordinabiliter gereretur officiorum administratione singulorum. Sicut autem filii obedientiam in sinu matris Ecclesiæ gratiosè consolationis uberibus confovendi sunt, ita rebelles & elati, qui per inobedientiam suam, quasi peccatum ariolandi & idolatriæ scelus incurrun, severitatis ecclesiasticæ disciplinis sunt arctioribus coercendi. Balmenfense itaque Monasterium, quod per fratres ibidem congregatos, & odore bonæ opinionis, & religionis decore splendescere ac florere debuerat; quia veterem hominem cum suis actibus sequebantur, in peccatis eorum, diabolo suadente, contabuit; unde tam in spiritualibus quam in temporalibus miserabiliter fuerat immutatum. Cum autem placuit ei, qui ab æterno cuncta disponit, ut tantis malis finem imponeret, & locum ipsum ad obsequium suum misericorditer revocaret, facies eorumdem fratrum implere ignominia voluit, ut per hoc nomen suum inquirerent, & ad viam rectitudinis inviti etiam remearent. Hac itaque justitia premeunte, dilectè in Domino fili Petre Abbas, Balmenfense Monasterium cum omnibus, quæ in presenti justè & canonicè possidet, aut in futurum rationalibus modis, præstante Domino, poterit adipisci, prædecessorum nostrorum, venerabilis memorie Eugenii, & Anastasii, Romanorum Pontificum, vestigiis inherentes, tibi & successoribus tuis, & per vos Cluniacensi Ecclesiæ in perpetuum confirmamus. Ea videlicet ratione, ut Ordo Monasticus ibi secundum institutionem Cluniacensium fratrum futuris temporibus in-

violabiliter conservetur; & pro rebellione, contumacia, & offensa Balmenfensi Monasterii, quam Abbas & Fratres adversus sanctam Romanam exercuerunt Ecclesiam, quicumque regimen, in eodem loco per vos pro tempore obtinuerit, nunquam Abbatis, sed Prioris nomen tantummodo sortiatur; In bonis autem, & possessionibus ejus hæc propriis duximus exprimenda nominibus: Obedientiam Visani Monasterii, Obedientiam de Strabona, Obedientiam de Grandifonte cum appendiciis suis, & Ecclesiam sancti Leodegarii, quæ est in villa, quæ Bavinans dicitur; Ecclesiam de Beliaco, Ecclesiam de Wilari Rotiani, Ecclesiam de Fragiaco, Ecclesiam de Vadriaco, Ecclesiam de Montibus, obedientiam sancti Lauteni, obedientiam de Breriaco cum omnibus appendiciis suis, Baernam in ipso Burgo, Obedientiam Cavanicensem, Obedientiam de Ploniaco cum omnibus appendiciis suis, & Cappellam S. Savini, tres Burgenfes in burgo Ledonis, qui vocantur Wanirant, obedientiam de Dola, obedientiam de Benevant, Obedientiam S. Mauricii, obedientiam de Saoneres, obedientiam de Biviliaco, Obedientiam S. Agnetis, Obedientiam de la Fracte, Obedientiam de Ponte Arleti cum earum appendiciis, & cum Ecclesia de Pinctis, Ecclesiam de Blaterans, Ecclesiam de Wilari Rodulphi, Obedientiam de Cappella, Obedientiam de Sinziciaco cum pertinentiis earum, Ecclesiam de Cornauvo, Ecclesiam de Corlan, Ecclesiam de Fay cum decimis & earum appendiciis, Ecclesiam de Frebonis cum decimis suis, obedientiam sancti Raneberti cum appendiciis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salvâ in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate, & in supradictis Ecclesiis Dioecesanorum canonicè institutâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione cortexerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat; Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO ADRIANUS Catholicæ Ecclesiæ Episc. fs.



Ego

Injuncta lege ut in eo non Abbates, sed Priores tantummodo eligantur.

Bona huic Monast. propria.

Decretum inhumanitatis.

Cum solitis clausulis.

Hadriani PP.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi. Ego Cencius Portuenfis, & sancta Rufina Episcopus fs. Ego Gregorius Sabinensis Episc. fs. Ego Guido Presb. Card. tit. S. Chryfogoni fs. Ego Ubaldu Presbyter Card. tit. sancta Praxedis subscripsi. Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tit. sancta Sabinae fs. Ego Julius Presb. Card. tit. S. Marcelli fs. Ego Bernardus Presb. Card. tit. sancti Clementis fs. Ego Octavianus Presbyter Card. tit. sancta Ceciliae fs. Ego Aitaldu Presbyter Cardinalis tit. sancta Priscae fs. Ego Gerardus Presb. Card. tit. S. Stephani in Caelio monte subscripsi. Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pamachii subscripsi. Ego Henricus Presb. Card. tit. SS. Nerei & Achillei subscripsi. Ego Joannes Presb. Card. tit. S. Silvestri & Martini fs. Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum subscripsi. Ego Rodolphus Diaconus Cardinalis S. Lucie in Septa folis fs. Ego Guido Decanus Cardinalis S. Mariae in Porticu fs. Ego Joannes Diaconus Card. sancti Sergii & Bacchi fs. Ego Girardus Diaconus Cardinalis S. Mariae in Via lata fs. Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano fs.

Dat. die 7. Maii ann. Dni 1155. Pontif. anno 1.

Datum Romae apud. sanctum Petrum per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancell. Non. Maji Indict. III. Incarn. Dom. anno MCLV. Pontificatus vero Domni Adriani Papae IV. anno I.

III.

Raynerio Senensi Episcopo facultas conceditur Ecclesiam construendi in fundo Montis Bonizi sub annuo censu unius Bizantii, Lateranensi Patriarchio persolvendo.

Ex MS. lib. editi Ughele Ital. Sac. Te. III.

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Raynerio Senen. Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Concessio.

CUM ex injuncto nobis a Deo summi Pontificatus officio cunctis Christi fidelibus debeamus nos exhibere propitios, & ipsos in suis postulationibus exaudire; praesertim fratribus nostris Episcopis oportet nos paterna solitudine providere, & eos in ipsa operis exhibitione ampliori affectu diligere charitatis. Quo circa, venerabilis in Christo frater Rayneri Episcopi, tuis justis postulationibus gratum impatientes assensum, fraternitati tuae duximus concedendum, ut in fundo, quem dilectus filius noster nob. vir. Guido Comes in Montebonizi beato Petro, & nobis, qui vicem ejus, licet indigni, gerimus, dignoscitur concessisse, liceat tibi, Ec-

clesiam construere, & constructam sine contradictione aliqua consecrare, clericos quoque in ea juxta tuae voluntatis arbitrium ponere, & liberè ordinare. Sane, ut haec nostra concessio majorem in posterum obtineat firmitatem, auctoritatis nostrae presidio ipsam duximus confirmandam, & praesentis scripti paginam muniendam. Statuimus autem, ut quicumque de tua Dicecesi ad Locum illum transferint, in omnibus spiritualibus, tibi tantum & successoribus tuis debeant respondere, & eandem, quam prius, in eis habeatis omnino potestatem. Caterum ad hujus nostrae concessionis, & confirmationis inditium, unum bizantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, hunc paginam nostrae concessionis & confirmationis ausu temeritatis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua vero in futurum ecclesiastica secularive persona hoc attentare praesumpserit, secundo tertiove commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultionis subjaceat: Servantibus autem sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Sub annuo censu unius Bizantii.

Solite conclusiones pro confirmatione Privilegii hujus.

Hadriani Pp.

& S. R. E. Cardd. sub- scriptiones.

EGO ADRIANUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Ubaldu Presb. Cardinalis tit. sancta Praxedis subsc. Ego Manfredus Presb. Cardinalis tit. S. Sabinae subscripsi. Ego Ubaldu Presb. Card. tit. sancta Crucis in Hierusalem subsc. Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii subsc. Ego Joannes Presb. Card. tit. SS. Silvestri & Martini subsc. Ego Bernardus Presb. Cardinalis tit. sancti Clementis subsc. Ego Joannes Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi fs. Ego Gerardus Diac. Card. sancta Mariae in Via lata subsc.

Dat. die 11 Julii anno Dom. 1155. Pont. an. 1.

Data apud Civitatem Castellanam per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancellarii, XII. Kalen. Augusti, Indictione III. Incarnationis Dominicae anno MCLV. Pontif. vero Domni Adriani Papae IV. anno I.

IV.

Bellunenses Canonicos sub protectione Sedis Apostolica suscipit, bonaque omnia ad eisdem pertinentia confirmat.

Ex Ughele Ital. Sac. Te. V. ubi de Bellunensibus Episcopis.

Exordium.

Privilegii concessio.

Bonorum confirmatio.

De rebus immunitatis & indemnitate.

Cum solitis clausulis.

Hadriani Pp.

& S. R. E.

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Anno Archipresbytero Bellunensis Ecclesiae, ejusque fratribus tam praesentibus, quam futuris, canonicè substituendis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor aequitatis exigit, & ordo postulat rationis; praesertim quanto potentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Quo circa, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus libenter annuimus, & praefatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostrae protectione suscipimus, & praesentis scripti patrocinio communitur; Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona, eadem Ecclesiae impraesentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontif. largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Eccles. sancti Bartholomaei in loco, qui dicitur Agre, sitam, cum domo Hospitalis ibidem existente: Hospitale domum in loco, qui Vedana dicitur, constitutam, & Ecclesiam ibidem fundatam: montem Premezze cum decimis & pertinentiis suis: terram in villa, quae dicitur Formeganum: praedia quoque & possessiones, & praesertim decimas illas, quas Aymo bo. me. Bellunice Episcopus eidem Ecclesiae pietatis intuitu contulit, quae sunt in parte Orientali Bellunensis civitatis ultra flumen, quod Ardum vocatur, vobis, & per vos Ecclesiae vestre nihilominus confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, supradictam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet exactionibus fatigare; sed illibata omnia, & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva in omnibus Apostolica Sedis auctoritate, & Episcopi vestri canonica justitia. Si qua igitur ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultionis subjaceat; Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit pax. D. nostri Jesu Christi, quatenus illi sanctum bonae actionis percipiant, & ante districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

EGO ADRIANUS Catholicae Sedis Episcopus subscripsi.

Ego Ubaldu Presb. Card. tit. S. Praxedis fs.

IV.

Ego Manfredus Presbyter Cardinalis sancta Sabinae &c. Ego Gerardus Presb. Card. tit. S. Stephani in Coelio monte &c. Ego Henricus Presb. Card. tit. sancti Nerei & Achillei &c. Ego Joannes Diaconus Card. tit. SS. Sergii & Bacchi &c. Datum Urbe veteri per manus Rolandi S. R. E. Presbyteri Card. & Canc. anno Incarn. Dom. MCLV. Indict. V. tertia mensis Octobris Pontificatus vero D. Adriani Papae II. anno II.

Dat. die 3 Octob. anno Dom. 1155. Pont. an. II.

V.

Henrico II. Angliae Regi conceditur privilegium occupandi Hiberniam, & adjacentes Insulas, salvo jure Romanae Ecclesiae, & ceterarum Ecclesiarum.

(a)

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Anglorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Encomium Henrici Regis.

Laudabiliter & fructuose de glorioso nomine propagandos in terris, & felicitatis praemio cumulando in Coelis tua magnificentia cogitat: dum ad dilatandos Ecclesiae terminos, ac declarandam indoctis & rudibus populis Christianae fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps intendis, & ad id convenientius exequendum, consilium Apostolicae Sedis exigit & favorem. In quo facto quanto altiori consilio & majori discretione procedis, tanto in eo feliciore progressum te, praestante Domino, confidimus habiturum; eo quod ad bonum exitum semper & finem soleant attingere, quae de ardore fidei & de religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam, & omnes Insulas, quibus Sol justitiae Christus illuxit, & quae documenta fidei Christianae ceperunt, ad jus B. Petri & sacrosanctae Romanae Ecclesiae, (quod tua & nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentius plantationem fidelem & germen gratum, Deo inferimus, quanto id a nobis interno examine districtius prospicimus exigendum. Significasti siquidem nobis, filii in Christo carissime, te Hiberniae insulam, ad subdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, & de singulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle solvere pensionem, & jura Ecclesiarum illius terrae illibata & integra conservare. Nos itaque pium & laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes, & petitioni tuae benignum impendentes assensum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiae terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inferendis, pro Christianae religionis augmento, insulam illam ingrediaris; & quod ad honorem Dei & salutem illius terrae spectat verit

Hibernia, & ejus insulae ad Sedem Apost. directum jus pertinet.

Cause concessio.

(a) Gabriel Cosartius notar hoc privilegium referri a Mattheo Parisio & Gualdo Cambrensi.